The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Gregorius moralium lib. 1 (fol.52vb-53va)

1. Vir erat in terra hus. non ualde est laudabile bonum esse cum bonis sed bonum esse cum malis. sicut enim grauioris culpe est inter bonos bonum non esse ita immensi est preconii bonum etiam inter malos extitisse.

   Vir erat in terra Hus nomine Iob…. Neque enim ualde laudabile est bonum esse cum bonis sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpae est inter bonos bonum non esse, ita immensi est praeconii, bonum etiam inter malos exstitisse.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.1 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.25, ll.1, 7-10). cf. Iob 1:1

2. Estote prudentes sicut serpentes et simplices et cetera. Vtraque necessaria. in admonitione coniunxit. ut et simplicitatem columbe astucia serpentis instrueret et rursum serpentis astuciam columbe simplicitas temperaret. Hinc est quod spiritus sanctus presenciam suam hominibus non in columba solum modo sed etiam in igne patefecit. per columbam quippe simplicitas per ignem uero zelus indicatur. In columba ergo et igne ostenditur quia qui illo pleni sunt sic mansuetudini simplicitatis inseruiunt ut contra culpas delinquencium etiam zelo rectitudinis accendantur.

   Hinc per semetipsam Veritas discipulis praecipit, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae*. Vtraque enim necessario sunt in admonitione coniuncta ut et simplicitatem columbae astutia serpentis instrueret, et rursum serpentis astutiam columbae simplicitas temperaret. Hinc est quod sanctus Spiritus praesentiam suam hominibus, non in columba solummodo, sed etiam in igne patefecit. Per columbam quippe simplicitas per ignem uero zelus indicatur. In columba igitur et in igne ostenditur, quia quicumque illo pleni sunt, sic mansuetudini simplicitatis inseruiunt ut contra culpas delinquentium etiam zelo rectitudinis accendantur.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.2 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.25, ll.9-19). cf. Matth. 10:16

3. Timens deum. deum timere est nulla que facienda sunt bona preterire. Et recedens a malo. Non enim bona deo accepta sunt que ante eius oculos malorum admixtione maculantur.

   Timens Deum et recedens a malo. Deum timere est nulla quae facienda sunt bona praeterire. Vnde per Salomonem dicitur: *Qui Deum timet nihil neglegit*. Sed quia nonnulli

sic bona quaedam faciunt ut tamen a quibusdam malis minime suspendantur, bene postquam timens Deum dicitur, recedens quoque a malo perhibetur. Scriptum quippe est: *Declina a malo et fac bonum*. Neque enim bona Deo accepta sunt quae ante eius oculos malorum admistione maculantur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.3 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.26-7, ll.1-8). cf. Iob 1:1; Eccl. 7:19; Ps. 36:27

4. Et fuit possessio eius ut ostendatur quante uirtutis exstitit multum fuisse dicitur quod pacienter amisit. nonquam quippe sine dolore amittitur nisi quod sine amore possidetur.

   Et fuit possessio eius septem millia ovium et tria millia camelorum quingenta quoque iuga boum et quingentae asinae, ac familia multa nimis…. Vt igitur ostendatur, quantae uirtutis exstitit, multum fuisse dicitur quod patienter amisit. Numquam quippe sine dolore amittitur nisi quod sine amore possidetur.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.5 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.28, ll.5-7). cf. Iob 1:3

5. Cumque in orbem transissent. dies conuiuii. et cetera. nonnulla sunt uicia que a conuiuiis aut separari uix possunt aut certe nequaquam possunt. semper enim epulas comitatur uoluptas. nam dum corpus in refectionis delectatione resoluitur cor ad inane gaudium relaxatur.

   Cumque in orbem transissent dies conuiuii, mittebat Iob et sanctificabat illos, surgensque diluculo offerebat holocausta per singulos…. Nonnulla quippe sunt uitia quae a conuiuiis aut separari uix possunt, aut certe nequaquam possunt. Paene semper enim epulas comitatur uoluptas. Nam dum corpus in refectionis delectatione resoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.8 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.29, ll.12-16). cf. Iob 1:5

6. Pene semper epulas loquacitas sequitur cumque uenter reficitur lingua diffrenatur.

   Paene semper epulas loquacitas sequitur cumque uenter reficitur, lingua diffrenatur.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.8 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.29, ll.19-20).

7. Ysacar asinus fortis et cetera. inter terminos accubare est prestolato mundi fine requiescere nihilque de hiis que nunc in medio uersantur querere sed ultima desiderare. et fortis asinus requiem ac terram optimam uidet cum simplex gentilitas idcirco se ad robur

boni operis erigit. quia ad eterne uite patriam tendit. que et ad portandum humerum supponit. quia conspecta superna requie preceptis etiam grauibus in operatione se subicit. et quicquid intolerabile pussillanimitas asserit. hoc ei leue ac facile spes remunerationis ostendit.

Vnde bene, quod hanc requiem populus gentilis appeteret, Iacob filios alloquens, prophetica hoc studuit uoce signare, dicens: *Isachar asinus fortis accubans inter terminos uidit requiem quod esset bona et terram quod optima; et supposuit humerum ad portandum*. Inter terminos namque accubare est praestolato mundi fine requiescere, nihilque de his quae nunc in medio uersantur quaerere, sed ultima desiderare. Et fortis asinus requiem ac terram optimam uidet cum simplex gentilitas idcirco se ad robur boni operis erigit, quia ad aeternae uitae patriam tendit. Quae et ad portandum humerum apponit, quia conspecta superna requie, praeceptis etiam grauibus in operatione se subicit et quicquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc ei leue ac facile spes remunerationis ostendit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.16 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.38, ll.55-68). cf. Gen. 14:15

8. Et ibant filii eius et cetera. Vnusquisque filius in die suo conuiuium exhibet. quia sanctus quisque predicator iuxta mensuram illuminate intelligentie mentes audiencium epulis ueritatis pascit.

Et ibant filii eius et faciebant conuiuium per domos.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.19 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.39, ll.1-2). cf. Iob 1:4

Vnusquisque ergo filius in die suo conuiuium exhibet, quia sanctus quisque praedicator iuxta mensuram illuminatae intelligentiae mentes audientium epulis ueritatis pascit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.20 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.40, ll.6-9).

9. Et mittentes uocabant et cetera. Scriptura sacra aliquando nobis cibus est aliquando potus. cibus est in locis obscurioribus quia quasi exponendo frangitur et mandando gluttitur. potus uero est in locis apertioribus. quia ita sorbetur sicut inuenitur.

Et mittentes uocabant tres sorores suas ut comederent et biberent cum eis…. Scriptura enim sacra aliquando nobis cibus est, aliquando potus. Cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur et mandendo glutitur. Potus uero est in locis apertioribus quia ita sorbetur sicut inuenitur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.21 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.40, ll.1-2, 7-10). cf. Iob 1:4

10. Vir erat in terra hus nomine iob. Si iob dolens et hus consiliator dicitur non immerito per utraque nomina electus quisque figuratur quia nimirum consiliatorem animum inhabitat qui dolens de presentibus ad eterna festinat. nam sunt non nulli qui uitam suam negligunt et dum transitoria appetunt dum eterna uel non intelligunt uel intellecta contempnunt nec dolorem senciunt nec habere consilium sciunt cumque superna que amiserunt non considerant esse se. heu miseri in bonis putant.

    Vir erat in terra Hus nomine Iob. Si Iob dolens et Hus consiliator dicitur, non immerito per utraque nomina electus quisque figuratur, quia nimirum consiliatorem animum inhabitat, qui dolens de praesentibus ad aeterna festinat. Nam sunt nonnulli qui uitam suam negligunt et dum transitoria appetunt, dum aeterna uel non intellegunt, uel intellecta contemnunt, nec dolorem sentiunt, nec habere consilium sciunt. Cumque superna, quae amiserunt, non considerant, esse se, heu miseri, in bonis putant.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.25 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.43, ll.1-9). cf. Iob 1:1

11. Electorum mentes dum cuncta transitoria nulla esse conspiciunt ad que sint conditi exquirunt cumque eorum satisfactioni nichil extra deum sufficit ipsa inquisitionis exercitatione fatigata illorum cogitatio in conditoris sui spe et contemplatione requiescit.

    At contra electorum mentes dum cuncta transitoria nulla esse conspiciunt, ad quae sint conditae exquirunt; cumque eorum satisfactioni nihil extra Deum sufficit, ipsa inquisitionis exercitatione fatigata illorum cogitatio, in conditoris sui spe et contemplatione requiescit, supernis interseri civibus appetit.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.25 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p. , ll.15-).

12. Simplex et rectus et cetera. quisquis eternam patriam appetit proculdubio simplex et rectus uiuit. simplex uidelicet opere. rectus fide simplex in bonis que inferius peragit. rectus in summis que in intimis sentit.

    Simplex et rectus, timens Deum et recedens a malo. Quisquis aeternam patriam appetit, simplex procul dubio et rectus uiuit: simplex uidelicet opere, rectus fide; simplex in bonis quae inferius peragit, rectus in summis quae in intimis sentit.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.26 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.44-5, ll.1-5). cf. Iob 1:1

13. Ve peccatori terram ingredienti duabus uiis. duabus quippe uiis peccator terram ingreditur quando et dei est quod opere exhibet et mundi. quod per cogitationem querit. Timens deum et recedens a malo. Sancta electorum ecclesia simplicitatis et rectitudinis sue uias timore inchoat. sed caritate consummat. cui est tunc funditus a malo recedere cum ex amore dei ceperit iam nolle peccare.

    Vnde bene per quemdam sapientem dicitur: *Vae peccatori terram ingredienti duabus uiis.* Duabus quippe uiis peccator terram ingreditur quando et Dei est quod opere exhibet et mundi quod per cogitationem quaerit. Bene autem dicitur: *Timens Deum et recedens a malo*, quia sancta electorum Ecclesia simplicitatis suae et rectitudinis uias timore inchoat, sed caritate consummat. Cui tunc est funditus a malo recedere cum ex amore Dei coeperit iam nolle peccare.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.26 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.45, ll.7-16). cf. Eccli. 2:14; Iob 1:1

14. Nati sunt ei septem filii. Septem nobis filii nascuntur cum per conceptionem bone cogitationis sancti spiritus. septem in nobis sunt uirtutes oriuntur. et tres filie. quicquid uirile uirtutum sensus faciunt spei fidei caritatique coniungunt.

    Natique sunt ei septem filii et tres filiae. Septem quippe nobis filii nascuntur cum per conceptionem bonae cogitationis, sancti Spiritus septem in nobis uirtutes oriuntur…. Sed habent in nobis septem filii tres procul dubio sorores suas quia quicquid uirile hi uirtutum sensus faciunt, spei, fidei caritatique coniungunt.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.27 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.45, ll.1-4, 13-15). cf. Iob 1:2

15. Ac familia. multa. nimis. possidemus multam familiam cum recto iure innumeris cogitationibus rationis discretione dominamur.

    Ac familia multa nimis…. Possidemus ergo multam familiam, cum recto iure innumeris cogitationibus rationis discretione dominamur.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.30 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.47-8, ll.1, 13-19). cf. Iob 1:3

16. Ea que perscrutari in nobismet ipsis plenius nitimur sepe uerius orando. quam inuestigando penetramus. cum enim mens per quamdam compunctionis machinam. ad alta sustollitur. omne quod ei de se ipsa occurrerit sub se ipsa diiudicando certius contemplatur.

Sed hos uirtutum sensus melius preces quam discussiones inueniunt; nam ea quae perscrutari in nobismetipsis plenius nitimur saepe uerius orando quam inuestigando penetramus. Cum enim mens per quamdam compunctionis machinam ad alta sustollitur, omne quod ei de se ipsa, sub se ipsa est, diiudicando certius contemplatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.34 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.50, ll.9-15).

17. Offerebat holocausta per singulos. holocaustum per singulos filios offerimus cum pro unaquaque uirtute domino hostiam nostre precis immolamus ne sapientia elevet ne intellectus dum subtiliter currit aberret. ne consilium dum se multiplicat confundat. ne fortitudo dum fiduciam prebet precipitet ne sciencia dum nouit et non diligit inflet. ne pietas dum se extra rectitudinem inclinat extorqueat. ne timor dum plus iusto trepidat in desperationis foueam mergat. cum ergo pro unaquaque uirtute ut pura esse debeat preces domino fundimus. quid aliud quam iuxta numerum filiorum holocaustum per singulos exhibemus? holocaustum namque totum incensum dicitur holocaustum igitur dare est totam mentem igne compunctionis incendere ut in ara amoris cor ardeat et quasi delicta proprie sobolis inquinamenta cogitationis exurat.

Consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos. Diluculo namque consurgimus cum compunctionis luce perfusi humanitatis nostrae noctem deserimus et ad ueri luminis radios, oculos mentis aperimus. Atque holocaustum per singulos filios offerimus, cum pro unaquaque uirtute Domino hostiam nostrae precis immolamus, ne sapientia eleuet; ne intellectus dum subtiliter currit aberret; ne consilium dum se multiplicat confundat; ne fortitudo dum fiduciam praebet praecipitet; ne scientia dum nouit et non diligit inflet; ne pietas dum se extra rectitudinem inclinat intorqueat; ne timor dum plus iusto trepidat in desperationis foueam mergat. Cum ergo pro unaquaque uirtute ut pura esse debeat, preces Domino fundimus, quid aliud quam iuxta filiorum numerum holocaustum per singulos exhibemus? Holocaustum namque totum incensum dicitur. Holocaustum igitur dare est totam mentem igne compunctionis incendere ut in ara amoris cor ardeat et quasi delicta propriae subolis, inquinamenta cogitationis exurat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.35 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.50-1, ll.1-18).

18. Venientes remon berothite. rechab et baana et cetera. ostiaria triticum purgat. cum mentis custodia discernendo uirtutes a uiciis separat. quod si dormierit in mortem proprii domini insidiatores admittit. quia cum discretionis sollicitudo cessauerit ad interficiendam animam malignis spiritibus iter pandit. qui ingressi spicas tollunt. quia mox bonarum cogitationum germen auferunt atque in inguine feriunt quia uirtutem cordis delectatione carnis occidunt.

Vnde recte inopinata morte exstinctus Isboseth dicitur, quem scriptura sacra non in domo ostiarium, sed ostiariam habuisse testatur, dicens: *Venientes filii Remmon Berothitae, Rechab et Banaa, ingressi sunt feruente die domum Isboseth qui dormiebat super stratum suum meridie. Ingressi sunt autem domum et ostiaria domus purgans triticum obdormiuit. Assumentes spicas tritici, latenter ingressi sunt et percusserunt eum in inguine*. Ostiaria triticum purgat, cum mentis custodia discernendo uirtutes a uitiis separat. Quae si obdormierit, in mortem proprii Domini insidiatores admittit, quia cum discretionis sollicitudo cessauerit, ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi spicas tollunt quia mox bonarum cogitationum germina auferunt. Atque in inguine feriunt, quia uirtutem cordis delectatione carnis occidunt.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.35 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.51, ll.22-36). cf. 2 Reg. 4:5-6

19. Bene hysboseth dicitur qui custode femina hostilibus gladiis nudatur. hisboseth uir confusionis dicitur. uir autem confusionis est qui forti mentis custodia munitus non est. quia dum uirtutes se agere estimat subintrancia uicia nescientem necant. tota itaque uirtute muniendus est aditus mentis ne quando eam insidiantes hostes penetrent foramen neglecte cogitationis.

    Vnde bene et Isboseth appellatus est qui custode femina hostilibus gladiis nudatur. Isboseth quippe uir confusionis dicitur. Vir autem confusionis est qui forti mentis custodia munitus non est; quia dum uirtutes se agere aestimat, subintrantia uitia nescientem necant. Tota itaque uirtute muniendus est aditus mentis ne quando eam insidiantes hostes penetrent foramine neglectae cogitationis.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.35 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.52, ll.42-48).

20. Ne forte peccauerint filii mei. sepe bono operi dum laus humana obuiat mentem operantis immutat. que quamuis quesita non fuerat. tamen oblata delectat cuius delectatione dum mens bene operantis resoluitur ab omni intentionis intime uigore dissipatur.

    Dicebat enim: Ne forte peccauerint filii mei et benedixerint Deo in cordibus suis…. Saepe enim bono operi dum laus humana obuiat, mentem operantis immutat, quae quamuis quaesita non fuerat, tamen oblata delectat. Cuius delectatione dum mens bene operantis resoluitur ab omni intentionis intimae uigore dissipatur.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.36 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.52-3, ll.1-2, 39-42). cf. Iob 1:5

21. Curandum est ne bona nostra pauca sint curandum ne indiscussa ne aut pauca agentes inueniamur steriles aut indiscussa relinquentes uecordes.

Curandum itaque est ne bona nostra pauca sint; curandum ne indiscussa; ne aut pauca agentes inueniamur steriles, aut indiscussa relinquentes uecordes.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.36 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.56, ll.123-125).

22. Sume tibi aromata staten. et onica. et cetera. in tenuissimum puluerem aromata uniuersa conterimus cum bona nostra quasi in pila cordis occulta discussione tundimus. et si ueraciter bona sint subtiliter retractamus. aromata ergo in puluerem redigere est uirtutes recogitando terere. et usque ad subtilitatem occulti examinis reuocare. et notandum quod de eodem puluere dicitur. pones ex eo coram tabernaculo testimonii. quia nimirum tunc bona nostra ueraciter in conspectu iudicis placent. cum hec mens subtilius recogitando conterit. et quasi de aromatibus puluerem reddit ne durum grossumque sit opus. quod agitur ne si hoc arta retractationis manus non comminuat odorem de se subtilius non aspergat. hinc est enim quod sponse uirtus sponsi uoce laudatur cum dicitur. que est ista que ascendit et cetera. Sancta ecclesia. sicut fumi uirgula ex aromatibus ascendit. quia ex uite sue uirtutibus in interni cotidie incensi rectitudinem proficit. nec sparsa per cogitationes defluit sed sese inter archana cordis in rigoris uirga constringit. que ea que agit dum recogitare semper. ac retractare non desinit. mirram quidem et thus habet in opere sed puluerem in cogitatione.

Vnde recte ad Moysen dicitur: *Sume tibi aromata, stacten et onycha, galbanen boni odoris et thus lucidissimum; aequalis ponderis erunt omnia, faciesque thymiama compositum opere unguentarii, mixtum diligenter et purum*…. In tenuissimum puluerem aromata uniuersa conterimus, cum bona nostra quasi in pilo cordis, occulta discussione tundimus, et si ueraciter bona sint subtiliter retractamus. Aromata ergo in puluerem redigere est uirtutes recogitando terere et usque ad subtilitatem occulti examinis reuocare. Et notandum quod de eodem puluere dicitur: *Pones ex eo coram testimonio tabernaculi*; quia tunc nimirum bona nostra ueraciter in conspectu iudicis placent cum haec mens subtilius recogitando conterit et quasi de aromatibus puluerem reddit; ne grossum durumque sit bonum quod agitur, ne si hoc arta retractationis manus non comminuat odorem de se subtilius non aspergat. Hinc est enim quod sponsae uirtus sponsi uoce laudatur, cum dicitur: *Quae est ista, quae ascendit per desertum, sicut uirgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et uniuersi pulueris pigmentarii*? Sancta quippe Ecclesia sicut fumi uirgula ex aromatibus ascendit quia ex uitae suae uirtutibus in interni cotidie incensi rectitudinem proficit nec sparsa per cogitationes defluit, sed sese intra arcana cordis in rigoris uirga constringit. Quae ea quae agit, dum recogitare semper ac retractare non desinit, myrrham quidem et thus habet in opere sed puluerem in cogitatione.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.36 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.56-7, ll.126-130, 136-156). cf. Exo. 30:34-35; Exo. 30:36; Cant. 3:6

23. Sic faciebat Iob cunctis diebus. in cassum bonum agitur si ante terminum uite deseratur. quia et frustra uelociter currit qui priusquam ueniat ad metas deficit.

Sic faciebat Iob cunctis diebus. Incassum quippe bonum agitur si ante terminum uitae deseratur, quia et frustra uelociter currit qui prius quam ad metas ueniat deficit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 1.37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.57, ll.1-4). cf. Iob 1:5